6483/P

FREER, A

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,

Liber Societ. Med. Abredon.

DE

SYPHILIDE VENEREA;

Donum Roberti Baden

NEC NON

DE MORBO SIBBENS DICTO:

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

GULIELMI ROBERTSON, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,

Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini ſubjicit

ADAMUS FREER,

BRITANNUS.

Pridie Idus Junii, hora locoque ſolitis.

Omnipotentis Dei eſt, ſontes caſtigare; noſtrum vero, miſeris pro virili ſuccurrere, atque aegris opem ferre.

SYDENH.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR, AULD, et SMELLIE,
Academiae Typographos.

M.DCC.LXVII.

WELLCOME INSTITUTE LIBRARY

316835

PRÆCEPTORI SUO SPECTATISSIMO,

JOHANNI HOPE,

MEDICINAE ET BOTANICES,

IN ALMA ACADEMIA EDINBURGENA,

PROFESSORI EXIMIO;

COLLEGII MEDICORUM REGII EDINENSIS SOCIO,

ET SOCIETATIS REGIAE LONDINENSIS SODALI;

INGENIO, MORUM ELEGANTIA,

ET IN ARTE MEDICA AC BOTANICA

SOLERTIA ET INDUSTRIA CONSPICUO;

OB INNUMERA IN SE COLLATA BENEFICIA,

GRATO QUO PAR EST ANIMO,

DISSERTATIONEM HANCCE

DICATAM VOLUIT

AUCTOR.

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30355084

DISSERTATIO MEDICA

DE

SYPHILIDE VENEREA.

PROOEMIUM.

QUONIAM conſuetudine ſancitum eſt, et inſtituta hujus illuſtriſſimae Academiae Edinburgenae poſtulant, ut unuſquiſque ſpecimen peritiae de arte medica, in publicum prius exhibeat, quam omnes medicinae honores et privilegia contingere poſſit; ideo ſtatui de morbo notiſſimo, SYPHILIDE VENEREA, paucis diſſerere: Non quod hic morbus tam raro aut perfunctorie tractatus aut parum perſpectus ſit, adeoque de eo arcani aliquid antehac obſcuritate involutum retegere cogitem; ſed eo quod, praeter rationem jam allatam, idoneam exercitationem, nec praeclaris ſcriptorum ingeniis indignam, putarem.

UT aliis relinquam originem et progreſſum ſyphilidis venereae tractandum, et primam ejus

 introductionem

introductionem in Europeas haſce regiones praeciſe ſtatuendam, graviores de eo res protinus aggrediar: Propoſito meo in praeſentia ſufficiat, quod morbus ſit, et quidem graviſſimus.

DE SYNONYMIS AUCTORUM ET ETYMOLOGIA SYPHILIDIS VENEREÆ.

Variae fuerunt appellationes Syphilidi Venereae, ſub diverſis linguis, a diverſis auctoribus inditae, quas hic enumerare longum eſſet; in univerſum tamen, morbi Gallici nomen obtinebat, donec, ducentos abhinc annos, Joannes Fernelius Ambianus *, luis venereae nomen impoſuit, quod exinde maxime uſu frequentatum. Cum haec ita ſint, ſupervacaneum foret, ulla auctorum qui hoc argumentum tractaverint commemorare nomina: Attamen, qui hanc rem penitus indagare velit, elaboratum illud opus eruditiſſimi viri Astrucii conſulat †. Ab eo, ſinguli de hoc morbo qui ſcripſerunt, una cum accuratiſſima operum ipſorum diſcriptione, enumerantur:

Celer.

* Vide de abditis rerum cauſis, lib. 6. chap. 20. p. 334.

† De morbis venereis, tom. 2.

Celeb. Sauvagesium * ſecutus ſum in tribuendo huic morbo Syphilidis Venereae nomen, quippe quod aptiſſimum et verae denominationi maxime conſentaneum videatur.

Syphilis, ſecundum Sauvagesium †, derivatur a *συν cum* et *φιλεω amo*, ſeu ab amore mutuo; at Fracastorius, qui nomen primus invenit, in poemate quod Syphilis dicitur, Syphilim quendam paſtorem hoc morbo primum fuiſſe contaminatum ſingit, qui idcirco ex eo denominatus eſt.

Nomen triviale, *Venerea*, additur, ad diſtinguendam hanc ſpeciem ſyphilidis ab aliis ejuſdem generis; non quod haec ſpecies ſolum a venere propagatur, ſed quia hoc praecipue modo ex alia in alium, vel vice verſa, derivatur.

DE CAUSA PROXIMA SYPHILIDIS VENEREÆ.

Causa proxima ſyphilidis venereae miaſmata ſunt venerea, fluida corporis excitantia, et horum opera vires ſuas ad ſolidas partes extendentia, adeo ut morbum producant; ſed quae tandem ſit hujus venenatae materiae natura

* Vide Noſolog. method. tom. 5. p. 434. † Ibid. p. 433.

tura intrinſeca et eſſentialis, cum ſagaciſſ. SYDENHAMO *, me prorſus ignorare fateor; exiſtimans ea quae de hoc argumento adhuc allata ſunt ſpe multo eſſe minora, et ab imaginationis luxuria proficiſci: Vim autem habere hanc materiam generandi ſeſe in fluidis corporis humani, aliorumque animalium, eademque in naturam ſuam convertendi, ita ut a parvis et vix percipiendis initiis tantos tamque miros producat effectus, quotidiana experientia plane indicat. Eveniatne autem haec materia ex acida †, an putrida fermentatione ‡, an vero ex generatione animali ||, dubium adhuc et parum compertum videtur. Si tamen fas ſit meam opinionem in lucem edere, ultima earum pauciores exceptiones habere videtur: ſed de hoc argumento poſtea in Appendice.

DE

* Vid Opera Univerſa, p. 331.

† Vid. Aſtruc de morbis venereis, lib. 2. cap. 2. p. 126.

‡ Vid. Minad. tract. de virulent. vener. cap. 29. ex Aſtruc.

|| Vid. Hauptman. de viva mortis imagine, praef. ex Aſtruc.

DE CAUSIS PRÆDISPONENTIBUS SYPHILIDIS VENEREÆ.

Corpore robuſto et annoſo, ſyphilide venerea facilius afficitur novellum ac tenerum; ideoque ad hunc morbum praediſponere dici poteſt. Hac de cauſa facilius afficiuntur infantes quam adulti, et molliſſimae corporis partes contagionem promptiſſime admittunt.

Hic morbus omni aetati communicari poteſt; nec deſunt exempla hominum admodum aetate provectorum, qui eo affecti fuerint: Maxime tamen ei obnoxius eſt flos juvenilis. Hinc eſt quod tot juvenes puellaeque hoc morbo etiam nunc vexentur: et abſque his foret, ut morbus jamdudum humano generi incognitus fuiſſet.

DE CAUSIS OCCASIONALIBUS SYPHILIDIS VENEREÆ.

De modis quibus miaſmata venerea corpori humano communicantur, quod pro cauſarum occaſionalium conſideratione ſufficere poteſt, ſequentes primum locum obtinere arbitramur.

1. Infanti ſyphilis venerea communicari poteſt, vitio alterutrius parentis, et quidem

in

in utero; ideoque morbus hereditarius dici poteſt. In hoc caſu manifeſtum eſt, morbum a matre potius quam a patre derivari; etſi enim pater vitiatus fuerit, tamen ſi foetus in utero ſyphilidem veneream contraxerit, per matrem id fieri neceſſe eſt. Nihilominus quantumvis hoc ſit manifeſtum, non deſunt exempla in medicinae annalibus, quibus pateat infantem in utero a patre infectum fuiſſe, matre, dum gravida eſſet, omnibus hujus morbi indiciis prorſus experte. Harum rerum hiſtoriae a TRINCAVALLO * et AMATO † diſerte referuntur: Sed haec raro occurrunt, nec erroris ſuſpicione vacant.

2. SUCTIO inter cauſas occaſionales ſyphilidis venereae ab auctoribus enumeratur. Nutrix non ſolum lacte ſuo infantem vitiare poteſt, ſed etiam, ſi quae ſcabies aut ulcera venerea in cute ejus ſint, horum pus, tenero corpori applicatum, infectionem ei communicare poteſt. Infans quoque ſyphilide venerea laborans inficere nutricem poteſt; nam ulcuſcula venerea in ore, ejus papillas contingentia, hunc producent effectum. Ejus caſus multa ſunt exempla: unum in primis memorabile com-

* Vid. de ratione curand. particul. hum. corp. affectus, lib. 2. c. 17.

† Vid. Centaur. 1. curat. 50. ex Aſtruc.

communicavit mecum ingenioſus ille juvenis GEORGIUS SANDEMAN, cujus diligentiae fideique merito confidere poſſum; plures nempe mulieres, ad numerum 3 vel 4, quae, humanitate permotae, recens natum et infectum lactaverant, contagionem inde hauſiſſe.

3. OSCULATIO quoque cauſa ſyphilidis venereae occaſionalis habita eſt *; pus enim ulcuſculorum oris et contaminata ſaliva, labia imbuens, in tenera alterius labia diffundentur: Hinc orta videtur conſuetudo, quae hodie in aulis principum aliiſque coetibus urbanis obtinet, oſculo non ſalutandi; cum ſtatum oris prius cognoſcere oporteat, quam tale officium praeſtetur.

4. ACCUBITUS in eodem lecto cum inquinatis, occaſionem huic morbo ſuppeditare poteſt †, praeſertim ſi morbida cutis ulceribus aut ſcabie afficiatur, vel adſit gonorrhoea virulenta; calor enim in corpore ſtragulis excitatus magnopere ad abſorptionem diſponit.

5. TACTUS ulcerum venereorum aut aliorum locorum ubi materiae venereae fiat effluxus, ſy-

* Vid. Aſtruc de morbis venereis, lib. 2. cap. 1. p. 124. qui pro cujus argumento BENEDICTUM VICTORIUM, in lib. 1. De morbo Gallico, cap. 2. et CAROLUM MUSITANUM in tract. de morbo venereo, lib. 2. cap. 4. laudat.

† Vid. Aſtruc, de morbis venereis, loco laudato.

ſyphilidis venereae cauſa occaſionalis eſſe poteſt. Hoc ſatis cognitum eſt chirurgicis et iis qui artem obſtetricam exercitant, quibus occaſio datur talia loca frequenter explorare; eoque magis hoc uſu venit, ſi manus ſit tenera, aut ſi ei inſit vulnus aut fiſſura, qua materia inficiens facilius imbibatur.

Sub hoc capite referri poſſunt, reſpirare in eodem cum inquinatis cubiculo, in iiſdem cubare lodicibus, eaſdem induere veſtes, ex eodem poculo bibere, os et labia extergere eodem linteo, quibus infectus jam uſus ſit, &c. &c. Sed experientia quotidiana docet, eas, et etiam enumeratas No 3. et 4. nunquam vel ſaltem raro, his temporibus, talem effectum producere: Sive hoc inde eveniat, quod morbus nunc mitior evaſerit, quam olim cum hae obſervationes fierent, ſive hae ipſae conſiderandae ſint ut quae exiſtere poſſunt, ſed nunquam uſu veniunt, aliis dijudicandum relinquo.

6. Præ caeteris autem longe uſitatiſſima ſyphilidis venereae cauſa occaſionalis eſt rei venereae abuſus. Hoc modo vir foeminam inficere poteſt, ſi gonorrhoea virulenta aut ulcera penis ei adſunt. Contra, ſi foeminae vagina afficitur, ubi balanus virilis eam contigerit,

tigerit, morbus inde in virum facillime propagatur.

DE HISTORIA MORBI.

Miasmata ſyphilidem veneream gignentia primo in corpore recepta, aliquamdiu vix ullos producunt effectus; cum autem radices egerint, quod citius ſeriuſve ſit, pro gradu virulentiae materiae ipſius, aut diſpoſitionis corporis ad contagionem recipiendam, in parte prima affecta ſeſe indicat.

In viris, cum coitus ſit morbi cauſa occaſionalis, ſymptomata ſequentia inducuntur. Diebus, 4, 6, 10, vel etiam 12, poſt infectionem elapſis, materies ſanioſa et pellucida ex urethra diſtillat, quae brevi temporis ſpatio colorem flavum vel ſubviridem, nonnunquam ſanguinis ſtriis interſperſum, induit: Mox penis dolet, et in mole non nihil augetur; erectiones dolorificae cum penis incurvatione, praeſertim ſub nocte, frequentiſſimae ſunt; ſenſus rotationis quaſi teſticulorum; ardor urinae; ſtranguria; phymoſis; paraphymoſis; glandularum inguinalium intumeſcentia; et dolores lumborum ſubinde occurrentes. Perinaeum tumet, calet; preſſum, dolorem affert, et quando-

que in puſtulis emittit. Maculae morſum pulicis aemulantes in balano et praeputio aliquando cernuntur, quae mox ulceroſae fiunt: ſuperficie magis quam profunditate creſcere videntur, ſi cum aliis ſimilibus conferantur; orae iis ſaepe calloſae et durae; caro fungoſa, et verrucae interdum affatim inde naſcuntur, quae exceſae, ſaepe reſurgunt. Hae ulcuſculae vulgo CHANCRES appellantur.

INFLAMMATIONE genitalium ſuppreſſa, quod plerumque triduo aut quatriduo evenit, ardor urinae, erectiones dolorificae penis, caeteraque omnia ſymptomata paulatim leniora fiunt; humor gonorrhoicus placatius fluit, in colorem albidiorem et conſiſtentiam viſcidiorem mutatur, tandemque vel omnino exſiccatur, vel fluxus innoxii pellucidique humoris, A GLEET dictus, qui nonnunquam diu permanet, et non multo aegri incommodo ex urethra fluere incipit.

GONORRHOEA dum virulenta quandoque ſit ſuppreſſa, manet tamen ardor urinae, et alia ſigna earum partium inflammatoria; tumor teſtium cum febre ſaepiſſime cito ſubinde occurrunt, qui, gonorrhoea reducta, plerumque removetur. Gonorrhoea in tali ſtatu rerum ſuppreſſa, per clariſſ. ASTRUC gonorrhoea

virulenta

virulenta ſicca denominata eſt *. Obſervandum eſt, hanc materiam gonorrhoicam in omnibus variationibus, ut ſupra memoratis, plerumque non eſſe purulentam †; ſed praecipue ex praeternaturali lacunarum a clariſſ. MORGAGNO ‡ detectarum ſecretione evenire.

GLANDULÆ odoriferae, in iis qui balanum praeputio contectum habent, pari modo ac urethrae glandulae affici ſolent. Quibus autem glans ſemper nudata eſt, aut ſaepe antea glandulae affectae fuerunt, iis nulla talia phaenomena accidunt ‖. Hunc fluxum Clariſſ. ASTRUC § nomine gonorrhoeae ſpuriae ornat.

IN foeminis, ab hac cauſa occaſionali, eadem fere ſigna ſuccedunt: Vagina quoque raro ulceroſa fit, et effluxus inde, qui rarior cum ſanguine tinctus eſt, ex ſimilibus ac virorum ſuppletur fontibus.

CUM ſyphilis venerea alia cauſa occaſionali praeter venerem inducitur, nulla ſigna praeter ulcerationem ſeſe oſtendunt, antequam materia morbifica in ſyſtemate abſorbetur, quo iidem producuntur effectus.

TUM

* Vid. De Morbis Venereis, lib. 3. cap. 3. § 1. p. 282.

† Vid. Morgagni epiſt. anatom. med. 44. p. 169.

‡ Vid. Adverſar. anat 4. animadverſ. 9. p. 114.

‖ Vid. Sydenham. Opera univerſ. p. 329.

§ Vid. De Morbis Venereis, lib. 3. c. 3. § 2. p. 286.

Tum demum in conglobatis glandulis formantur bubones, inter cor et partem prius affectam; dolores graviſſimi caput et extremarum partium articulos occupant, qui nulla habent intervalla aut ſtatas exacerbationes, niſi quod, dum aeger in lecto poſitus calet, plerumque vehementiores redduntur; remittunt autem, eo frigidiore, et erectum ſitum tenente, vel leni ſudore erumpente; interim animi dejectio aegrum occupat, vireſque ſuae deſerunt; puſtulae quoque et ſcabies per cutem, praecipue in facie et fronte, conſpiciuntur: Scabies ſunt flavo colore, favoque externa facie ſimillimae. Caeterum, ſingulis horum ſymptomatum, in primis dolore, creſcentibus, nodi in perioſteo capitis, brachiorum, et crurum apparent, qui progreſſu temporis ad oſſa harum partium ſeſe extendunt, et carioſa reddunt. Apparent etiam ulcera phagedenica, quae plerumque in gutture incipiunt; ſenſimque palatum et oſſa ſpongioſa naſi attingunt, et conſumunt. Interdum gonorrhoea ſecundaria, una cum glandularum tumoribus, in variis corporis partibus diſpicitur: Materia etiam venerea in oculos, aures, et pulmones conjicitur, quae inflammata ulcerata fiunt; unde privatio viſus, auditus, et reſpiratio difficilis, cum anima foetida, non raro ſequuntur:

tur: Denique, omnes functiones animales, vitales et naturales, paulatim debilitantur: oritur febris hectica, quae miſerum aegrotum extrema macie conficit, et ad vitae faſtidium redigit, tandem mors grata infelicis curſus finem facit.

DE DIAGNOSI SYPHILIDIS VENEREÆ.

Quanquam Syphilidi Venereae abunde ſuppetant ſymptomata variorum generum, nullum tamen habet omnino ſibi proprium et unicum characterem, ab hiſtoriae naturalis ſcriptoribus eſſentialem dictum, quo ſine ſyndrome ſymptomatum ab aliis morbis diſtingui poſſit. Inveſtiganda igitur eſt ſyſtematice; quorum ſyſtematum, quae adhuc in lucem prodierunt, perfectiſſimum eſt illud Clariſſ. Sauvagesii in Noſologia ſua methodica.

Si corporis humores in ſyphilide venerea a naturali ſtatu mutantur, quod ſatis liquido patet, ad X claſſem ejuſdem auctoris *, nomine Cachexiæ, ſatis apte referri poteſt.

Ex cutaneis tumoribus puſtuloſis, cruſtaceis, quae ſaepe occurrunt, itemque ex eo quod morbus contagioſus et chronicus ſit, ad

V.

* Vid. Noſolog. method. tom. 2. in Praef. p. 16. et tom. 5. p. 251.

V. ordinem claſſis ſuperioris, nomine Impetiginis, pertinet.

Secundum Sauvagesium * quoque, "Ex "ulcuſculis, poris, bubonibus, ficis, quibus "primo ut plurimum genitalia afficiuntur, "praegreſſa non raro gonorrhoea, dein puſtulis cruſtaceis, doloribus nocturnis, exoſtoſibus, cariebus, &c. quibus caeterae partes "inficiuntur." Ex his omnibus, XXIV. generi claſſis, vel I. hujus ordinis, nomine Syphilis, ſubjicitur; et ex his omnibus notis ſimul ſumptis, non ſolum ab omnibus aliis in genere morbis, ſed etiam ſeorſum a ſcorbuto, elephantiaſi, lepra, ſcabie, et tenea, quae caetera genera ſunt ex ordine Impitiginum, diſtinguitur.

De genere quod ſyphilis vocatur, enumerantur a Sauvagesio † tres ſpecies: Syphilis Venerea de qua nunc agimus; Syphilis Polonica, ut a Stabelio ‡ tractatur; et Syphilis Indica.

Syphilis Polonica morbo de quo nunc diſſerimus valde affinis eſt; ſed ab eo diſtinguitur, quod magis contagioſa ſit, mercurius ejus ſanationi

* Vid. Noſolog. method. tom. 5. p. 253.

† Vid. ibid. tom. 5. p. 440.

‡ Vid. Haller. Diſputation. morb. tom. 1. p. 255.

nationi magis obſit quam proſit, et ungues ſcabri evadant.

Syphilis Indica raro vel nunquam in Europaea occurrit; ideoque a Syphilide Venerea hujus regionis ſatis diſtinguitur; inſuper autem dignoſcitur, quod magis ſit contagioſa, et propagetur non ſolum impuro coitu, generatione, et leviore communicatione; ſed etiam foetidis et ſalſis carnibus veſcendo, et rancidos corruptoſque liquores bibendo: facilius etiam curatur, ubi indigena eſt, quam Syphilis Venerea in Europa. An tamen haec ipſa Syphilis Indica, vel quae ſit inter Sinas, ſint revera diverſae a Syphilide Venerea, admodum videtur dubitandum. Leves autem variationes quae inter eas eſſe cernuntur, temperiei et regioni tribui poſſint.

Praeter has a Sauvagesio memoratas, eſt alia fortaſſe ſpecies, quae in Scotia frequenter occurrit; ab incolis vocatur Sibbens, Cevennes, vel Yaws: de qua poſtea pauca dicemus.

DE PROGNOSI SYPHILIDIS VENEREÆ.

Venimus nunc ad obſervationes quaſdam proponendas de Syphilidis Venereae eventu, quo nihil magis attendendum medico eſt: notitia

titia enim morborum ex prognoſticorum veritate ſaepe aeſtimatur.

I. Observatu dignum eſt, quo magis topica et externa Syphilis Venerea in corpore appareat, hanc eo facilius ſuperari poſſe; et e contra, cum per totum ſyſtema ſit, aut cum nobiliores et interiores corporis partes occupat, eo difficilius curari: Hinc Gonorrhoea virulenta facilius ſanatur quam periodus morbi provectior, cum Syphilis per corpus diffunditur, et interiores partes affici incipiunt: Hinc quoque eſt, quod Sagaciſſ. Sydenhamus * bene moneat, quo magis ad ſuperficiem corporis, in confirmata Syphilide Venerea, morbus tendat, eo leviorem aegrum fieri.

II. Quo minus violenta inflammatio initio ſit, et quo pauciora ſint reliqua deinceps ſymptomata, eo mitior, adeoque ſuperatu facilior, plerumque morbus evadit.

III. Cum Syphilis Venerea in corpore diutius inſederit, majore labore et longinquiore tempore plerumque curatur.

IV. Illi qui antea hac lue ſaepe fuerunt

* Vid. Opera univerſa, p. 331.

runt affecti, curatu in genere ſunt difficiliores, quam ii qui aliter boni corporis habitus ſunt, et qui nunquam antea morbo affecti fuerunt.

V. Si aeger in adoleſcentia ſit, aut media aetate, ſanguineo temperamento, et alioquin integer ac doloris expers, melius morbum laturus eſt, " quam quidem cholerici, pituitoſi, " minuſque bene valentes, ut infantes, pueri, " ſenes *."

Si Syphilis venerea, in eodem aegro, cum ſcurbuto aut rachitide conjuncta ſit, uterque eorum monſtroſam quamdam et hybridam induit naturam †.

Hoc morbo minus afficiuntur foeminae, ac plerumque melius eum ferunt, quam viri robuſtiore corporis habitu, praeſertim ſi menſtruum tributum ſolvunt ‡.

VI. Melius procedit curatio aeſtate quam hieme; in meridianis quam ſeptentrionalibus regionibus; in tepefacto cubiculo quam foris:

C Hinc

* Vid. Hoffman. Opera omnia, tom. 4. cap. 4. §§ 12. p. 416.

† Vid. Aſtruc de morbis venereis, tom. 1. lib. 4. cap. 5. § 1. p. 450.

‡ Vid. Hoffman. Opera omnia, l. c.

Hinc mos erat temporibus SYDENHAMII *, cum curatio fortaſſe tardior eſſet in Britannia quam nunc eſt, in Galliam ad ſanitatem recuperandam tranſire; ibi enim non ſolum conſtantior in aëre calor eſt, ſed et major.

VII. POSTREMO, nunquam deſperandum eſt de remedio Syphilidis Venereae, ſi aegro vires ſuppetant ad medicamentorum operationem perferendam; cum enim ea quae mitioris ſunt naturae parum procedunt, ad alia fortiora et efficaciora recurrendum eſt; cum unum medicamentum efficax ſucceſſu deſtituatur, aliud atque aliud tentandum eſt.

DE METHODO MEDENDI SYPHILIDI VENEREÆ.

HIS peractis, tandem ad curationem venimus; et, ad ſententiam noſtram dilucidius explicandam, ſequentem methodum proponimus:

1. VENEREAM materiam corpore expellere, aut aliter incremento ejus obviam ire;

2.

* Vid. Opera univerſa, p. 344.

2. Omnes cauſas occaſionales et excitantes, quantum fieri poteſt, amovere;

3. Urgentissima ſymptomata levare;

4. Morbo expulſo, corpus, aut aliquam ipſius partem, corroborare.

In curatoriis indicationibus proponendis, tametſi aliam ante aliam ſcribere neceſſe ſit, iis quae maximi ſunt momenti plerumque primum locum tenentibus; tamen in praxi omnes, praeter ultimum, ſimul perſequendae ſunt; eoque magis, quod alia plerumque aliis auxilio ſit, et peragendo unam indicationem aliae quoque quodammodo perficiuntur.

Quod ad primam attinet indicationem, ad argentum vivum recurrendum eſt; quod ſpecifice in materiam veneream agere, naturam ejus ita mutando, ut corpori humano fiat innoxia, jam prope univerſi fatentur.

De praeparationibus argenti vivi vel mercurii in Syphilidis Venereae curatione, multae, ex temporibus Jo. Berengarii, et Jo. de Vigo *, in uſu fuere, vario ut videtur ſucceſſu. In genere tamen experientia jam docet, quo minus mercurius chymica arte torqueatur,

* Qui circa an. 1520 floruere. Vid. Aſtruc de morbis venereis, tom 1. lib. 2. cap. 7. p. 159. et tom. 2. lib. Secul. 16. p. 617. 620.

queatur, modo ita dividatur, ut vaſa lactea et poros cutaneos intrare poſſit, eum tanto eſſe meliorem: Item, quo pauciora ei additamenta fiant, in proceſſu quovis chymico aut pharmaceutico, eo efficaciorem eſſe; nam etſi acido adjuncto magis aperiatur, et in formam ſalinam reddatur, hoc modo exhibitus non eſſe potentior in depellendo morbo, quam praeparationes ſimpliciores, ut pilulae mercuriales, aut unguentum mercuriale, reperitur. Notandum tamen praeparationes mercurii acriores citiſſime ſymptomata levare, et aliquando, ſanationes celeriores producere.

Libenter etiam concedo, acriores mercurii praeparationes, in caſibus levioribus, ubi materia morbifica in ſtatu mobili eſt, utiliter adhiberi poſſe; utpote quae corporis excretoria certius ſtimulent, et evacuatione, quam creant, morbum brevi tempore tollant. Contra tamen, cum in parte aliqua corporis interna morbus inciderit, non tam commodae ſunt ſtimulantes mercurii praeparationes, quam quae lenius operantur, nec ullum inſignem evacuationem producunt; tunc enim longiore mora in cauſam peccantem ita agunt, ut vires vitales earum actione non tantopere debilitentur.

Usque in dubium vocatur, an uſus ſalivationis excitandae per mercurium cujuſlibet

praeparationis in Syphilidis Venereae curatione ſit neceſſarius? Attamen, ſi mercurius agit in hoc morbo virus venereum extinguendo, aut liquorem innoxium reddendo, certe non ſolum ſalivatio, ſed omnis alia topica evacuatio quam maxime fugienda eſt; et hoc experientia hodierna comprobare videtur.

Igitur ad ptyaliſmum prohibendum, quae ingrata et inutilis evacuatio videtur, et quae plerumque fit etiam ex lenibus mercurii praeparationibus, ſi largius praebeantur; ad cutem eas derivandas cenſeo, quo per corpus magis diffundantur, et ad cauſam proximam morbi univerſalius applicentur *.

Ut fiat derivatio mercurii ex corporis internis partibus ad externam ſuperficiem, decocta

* Hoc loco debita laude commemorandus eſt mihi docliſſ. et ſagaciſſ. noſter medicinae practicae Prof. D. Jo. Rutherford, cujus ſumma peritia in morbis curandis omnibus nota eſt: Huic primam ideam curandi Syphilidem Veneream abſque ſalivatione debeo. Magna cum elegantia et perſpicuitate, ſibi familiari, ex cathedra academica, ann. 1765, in vulgarem praxin ſalivationis excitandae invectus eſt; magna ex ea incommoda enumerans, quae hic referre longum eſſet, et aliam experientia ſua probatam methodum collaudans. Hanc tamen fuiſſe conſuetudinem in Gallia ante hos 20 annos intelligo, et primo per Torrem introductam. Vid Clariſſ. Crantz. Mat. Med. p. 129.

coƈta ſudorifica diluentia, ſatis magna copia, una cum mercurio exhibenda ſunt. Ex his, decoƈta lignorum, ſarſaparillae, ſenecae, hordei, bardanae, et lobeliae ſyphiliticae *, praecipua

* Uſus hujus ſpeciei lobeliae, in Syphilidis Venereae curatione, primo deteƈtus a feris incolis Americae Borealis, qui ad Chiliarcham W. Johnſon eum notum faciebant, et is rurſus cum Celeber. Kalmio communicavit. Vid. Aƈt. acad. ſcient. Holmienſ. Vel diſſert. Jö Van Coelln. a Linnaeo in 4to tomo Amoenitat. acad. in lucem editam. " Sumunt (dicit Kalmius) radices herbarum " quatuor, ſex, vel plurium, prout violentia morbi id " exegerit, eaſque lavant. Alii recentes radices com- " mendabant, alii vero ſiccatas malebant, ſcilicet qui- " bus ſupra tres annos ſiccatis uſi ſunt multi cum inſigni " emolumento ſuo. Coquuntur deinceps radices in vaſe " quocunque; parum enim refert horum hominum ubi " coquantur, quippe quibus, praeter cacabas ex orichal- " co et aeneas ſuppetant nulli ad elaboranda medicamen- " ta ſua.

" Matutinis horis propinatur aegroto decoƈti quan- " tum unquam placuerit, aut ipſe potare poſſit, eodem- " que, per reliquum diei pro potu ordinario utetur; " inde dum alvum ad hypercatharſin ciere coeperit, ut " ſaepe fit, extenuandum eſt decoƈtum, donec id reƈte " ferre potuerit; quae dum aguntur, ab ebrietate omni- " no abſtinendum eſt. Potiſſimum autem tenuiori viƈtu " veſcatur, ac ipſo quidem ex regno vegetabili deſumpto, " tametſi carne quoque aegrotantem interdum ali liceat:

" Altero,

cipua ſunt: Item infuſa de ſeminibus lini, thea, et pice liquida *, prout aegri animus ferat, in eundem finem adhiberi poſſunt.

Quo efficacius promoveatur diaphoreſis, nihil tam utile eſt quam balneum tepidum; quo tunc utendum eſt, cum decocta aut infuſiones debitum non producunt effectum †.

Ut haec omnia exoptatum obtineant effectum, nihil magis conducit quam corpus in moderato et aequabili caloris gradu ſervare. Ad hanc rem aegrum calido cubiculo accommodari oportet, ex quo exire, dum curatur, non debet: Convenit etiam, ad caetera veſtimenta

" Altero die, itemque tertio, pergit aeger eadem via, " decoctum non ſolum bibens, ſed quotidie eodem etiam " ſe totum, et praecipue partes laeſas, lavans; continu- " abit diaetam iſthanc per quatuordecim dies, at ſepti- " manas tres, ex quibus morbum haud raro ſuperatum " experiri contigit." Vid. Amoen. acad. ut ſupra, p. 529. 530. Radices ceanothi Americani eodem modo ac Lobelia ſyphilitica iiſdem uſae ſunt. Ibid.

Lobelia ſyphilitica, propter ejus inopiam, nondum adhuc in noſtris regionibus in uſum publicum inducta eſt; attamen cum plantae ejuſdem generis eadem fere virtute pollent, nonne Lobelia dortmanna, quae ſpecies in Scotia indigena eſt, tentari debet?

* Vid. Peregrinationum Clariſſ. Fr. Haſſelquiſt. p. 390.

† Uſus balnei una cum mercurio, in Syphilidis Venereae curatione, quam maxime laudatur a Celeberr. Hoffmanno. Vid. Opera omnia, tom. 3. cap. 4. § 15. p. 421.

menta laneum induſium addere, et, balneo egreſſum, calidum lectum petere.

Ad ſecundam jam curatoriam indicationem venimus; nempe, omnes cauſas occaſionales et excitantes, quantum fieri poteſt, amovere.

Cavendum igitur aegro eſt, ne ullis modis ſupra dictis afficiatur; imprimis autem, per totam curationem, ſedulo fugere venerem oportet; non ſolum quod vim vitae plurimum exhauriat, ſed etiam in periculum novae infectionis adducat: Omnibus quoque liquoribus fermentatis et ſpirituoſis abſtinere debet; et, pro potu quotidiano, quaedam ex decoctis aut infuſionibus ſupra dictis, vel etiam aquam qua panis toſtus maceratus eſt, et ſimilia, tantum adhibere.

In genere, victum ab Illuſtriſſ. Sydenhamo *, in hoc morbo praeſcriptum, ut aptiſſimum, commendaverim; viz. pro bubula, ſuilla, piſcibus, caſeo, vegetabilibus quae digeſtu difficiliora ſunt, ſubſtituerim vervecinam, vitulinam, cuniculos, pullos gallinaceos, aliosque leves cibos, prout aegri jucundi aut parabiles ſunt. Huc addi poteſt, abſtinendum eſſe ab omni cibo condito et muria; et ſuperioribus cibis coctis, una cum juſculis ſuis, potius quam ulla alia forma, utendum. Ex quo-

* Vid. Opera univerſa, p. 335.

quocunque cibo parce comedere oportet, ac nihil amplius adhibere quam quod ad vitam tantummodo ſuſtentandam, vel appetitum ſaturandum, neceſſarium ſit.

Quoniam de duobus prioribus curationis indicationibus egimus, progrediamur jam ad tertiam, nempe, urgentiſſima ſymptomata levare.

1. Cum in qualibet corporis parte, primo morbi impetu, aut deinceps, inflammatio appareat, ſanguinis miſſio e brachio et topica, partis affectae fotus ex plantis emollientibus, cathartica mitiora, potus diluens, refrigerans, indicantur.

2. Stillicidium ſanioſum ex urethra et vagina, vel gonorrhoea virulenta, praecipuum eſt ſymptoma ſyphilidis venereae, ut mihi videtur, et prae caeteris pleriſque levari aut removeri meretur; nam, cum initio morbi accidit, ea probe curata, morbus non ulterius progreditur.

Denique, curatur copioſa ſanguinis miſſione generali et topica, ſi inflammatio concomitans magna ſit, partis affectae fomentatione, larga potatione tenuium liquorum mucilagineorum; quales ſunt infuſum de lini ſeminibus, decocta ſarſaparillae, hordei, bardanae, ſolutio gummi Arabici, &c. Injectiones ejuſ-

dem generis, vel aquae cum pauxillo lactis, olei olivarum, &c. per urethram aut vaginam immiſſae, ſaepe plurimum proſunt. Cathartica, in hac conditione morbi, ab optimis medicis practicis, non ſine ſucceſſu praeſcripta ſunt, et pro antiphlogiſtico nos ea ſuadere velimus.

Solet etiam praeparatio aliqua mercurii adhiberi, ad perdomandam morbificam materiam quae in ſyſtema ſemper, per vaſa lymphatica valvuloſa, abſorbetur. Ex his fortaſſe mercurius ſublimatus corroſivus, debita portione et dilutione, huic rei accommodatiſſimus, ſaltem propoſito ſat idoneus erit.

Si evenerit gonorrhoea virulenta ex eo quod totum corpus afficiatur, nulla ejus curatio prius ſperari poteſt, quam morbus e corpore penitus fuerit eradicatus.

3. Stranguria, quae in hoc caſu plerumque inflammationis effectus eſt, per uſum tubi elaſtici, Bougie dicti, ut monet Daran *, accommodiſſime ſedatur.

4. Ulcuscula vel porrigines unguento mercuriali inungenda ſunt, et plantarum emollientium decocto fovenda: Porro etiam una cum unctione et fomentis eorum margines,

* Vide Tractat. de Urethra, Galice ſcript.

gines, ſaepe callosae et durae, cauſtico potentiali exedendae.

5. Caro fungoſa et verrucae quae genitalia utriuſque ſexus interne vel externe toties infeſtant, aut enſe recidendae, aut cauſticis applicationibus extinguendae; quales, lapis infernalis, cauſticum lunare, vel, qui nuper in hujuſmodi caſibus magnopere praedicatus eſt, pulvis ſummitatum et foliorum ſabinae.

6. Scroti ac teſticulorum tumores inflammatorii venaeſectione, fomentis, caeteriſque ſub capite inflammationis prius commemoratis, plerumque removeri poſſunt. Praeterea autem, in hoc caſu, vomitus turpethi mineralis a medicis practicis magnopere laudatus eſt, propter inſignem ejus efficaciam ad moleſtum hoc ſymptoma repellendum: ſed, an haec mercurii praeparatio mechanicè tantummodo agat, admodum dubitandum; ideoque emeſin quavis alia minerali vel vegetabili ſubſtantia provocatam, eundem exhibituram effectum, ſi cum eadem violentia ageret, haud immerito ſuſpicari licet. In hoc quoque rerum ſtatu, ſcrotum ſacculo ſuſpendatur; aegerque ab ambulando, equitando, aliiſque motibus, abſtineat.

7. Tumorum glandularum inguinalium, aut aliarum conglobatarum, ſi ſub initium morbi enaſcantur,

enaſcantur, reſolutio quam maxime tentanda eſt, quae praecipue fit venaeſectione, et cum unguento mercuriali partium affectarum unctione *: Poſt reſolutionem tumorum, non alienum foret, quaſdam portiunculas ſolutionis mercurii ſublimati corroſivi adhibere.

Cum per morbi curſum univerſum corpus afficitur, ſi quae glandulae conglomeratae aut conglobatae tument, rubeſcunt, aut inflammantur, curationis parva ſpes reſtabit, antequam morbus e corpore penitus extirpatus fuerit; eadem tamen methodus ut ſupra utenda.

Si gangraena, ſchirrus, vel cancer earum partium inducitur, ea propriis ſuis remediis, ut in aliis caſibus, levantur.

8. Dolorificae erectiones penis, et dolores nocturni, ab venaeſectione et opio multum levantur.

9. Ossium exoſtoſes non extirpandae, niſi permoleſtae ſunt; ac tum quidem os nudandum eſt, et tumor ſecundum artem eradendus: ſaepiſſime tamen accidit, et in recentibus caſibus hoc plerumque fit, ut tumor qui oſſi ineſſe videtur, in perioſteo tantum ſitus ſit; tum demum ab internis medicamentis

curatio

* Profeſſor J. Gregory, in ſuis praelectionibus academicis, ex experientia Clariſſ. Chirurgici Edinburgenſis,

curatio petenda eſt. Non ita pridem decoctum mezerii, ob efficaciam in hujuſmodi caſibus, magnopere praedicatum eſt. Formula ita eſt:

℞. Cortic. rad. recent. mezerii.
Rad. recent. glycirrhiz. aa. drach. ii. binis inciſis. Coque in aq. fontan. lib. iii. ad lib. ii. nychthemerae partitis vicibus bibenda; et ita continuetur pro hebdomadis ſex, quo aeger plerumque curatus *.

10. Osium caries non omnino mercurii uſu curantur: decocta igitur ſudorifica ſola, ut ſupra memorata fuerunt, praecipue decoctum ſarſaparillae, in hunc finem utenda; experientia enim docet ea in multis caſibus optimo cum ſucceſſu adhiberi poſſe †.

Decoctum etiam mezerii forte ſalubres effectus ederet?

11. Si quando, per curationis curriculum, os praeter naturam affici incipiat, et ex uſu mercurii ptyaliſmus inducatur, uſus ejus pro tempore intermittendus eſt; et interim lene catharticum

* Hoc in uſum publicum protulit induſtria celeberrimi viri Doctoris Alex. Ruſſel, Medici Londinenſis, qui primo a Chirurgo de Noſocomio Sancti Thomae recuperavit, et plurimis experimentis confirmavit.

† Vide Obſervation. Med. Lond. tom. 1. art. 16. per G. Fordyce.

ticum ex ſalibus neutris aegro ſumendum; ſimulque copioſè bibendum de ſero vel ptiſana, aut etiam de ſupra memoratis decoctis infuſionibuſve. Forte etiam non inutile eſſet os decocto quodam aſtringente lavare. Vis mercurium in maſſa fluidorum retinendi camphorae attributa eſt *; et itaque aptiſſimum remedium pro ptyaliſmo ſedando videtur.

12. Cum mercurius diarrhoeam inducit, poſt catharticum ad opium recurrendum.

Ad quartam ultimamque curatoriam indicationem tandem venimus; nempe, Corpus aut aliquam ejus partem corroborare.

In genere, hoc fit cibis bene nutrientibus et digeſtu facilibus, quibus addi poteſt, modica copia vini rubri CLARET apud noſtrates dicti; cortex Peruvianus, aqua calcis, balneum frigidum, vita ruſtica, et exercitatio moderata, ſunt adhibenda.

Saepe accidit, ut fluxus e genitalibus manat, ſyphilitico veneno corpore penitus expulſo. In hujuſmodi eventu, medicamenta aſtringentia, topice applicata; balſama naturalia etiam, interne exhibita, una cum regimine, &c. quem-

* Vid. Hoffman. oper. omn. tom. 6. diſſert. 10. § xvii. p. 65. Vid. etiam Leutaud. Prec. de la matiere medicale, p. 340.

quemadmodum ſupra praeſcriptum, indicantur. Ex aſtringentibus, alumen praecipuum eſt, et in tenui ſolutione per urethram aut vaginam ſyringe injici poteſt. De balſamis, terebinthina Veneta et balſamum Copaivi * et Canadenſe in praecipuis habita ſunt.

* PROFESSOR HOPE, in praelectionibus ſuis, cum de viribus balſami Copaivi, aliorumque ſimilium, locutus eſt, ea omnia noctu potius quam mane ſumi ſuaſit; quoniam hoc modo vix *ſtomachum laedunt*. Et dedit hiſtoriolam, ſibi a celeberrimo Johanne Clerk relatam, de effectibus balſami Copaivi in ſeipſum diverſis, quum mane et quum veſpere ſumpſiſſet.

APPEN-

APPENDIX

DE

MORBO SIBBENS DICTO.

CUM morbus, qui SIBBENS, CEVENNES, vel YAWS, vulgo appellatur, Scotiae peculiaris, et hactenus ab auctoribus praetermiſſus, videatur; cum eadem fere ſymptomata exhibeat quae SYPHILIS VENEREA, eique tanta proximitate adjunctus reperiatur, ut ſpeciem ejuſdem generis conſtituat; cum omnes fateantur hunc morbum magis magiſque invaleſcere, ac, niſi quamprimum occurratur, totum regnum pervaſurum eſſe: ſtatui pauca de hujus morbi hiſtoria, cauſis, et curatione, quatenus eadem comperta ſunt, huic diſſertationi ſubjungere, obiterque ea obſervare quae huic argumento lucem allatura videantur.

QUAE de origine morbi Sibbens vulgo traduntur non repeti poſſunt ultra ea tempora in quibus dominabatur O. CROMWELIUS ille, cujus milites, annos abhinc circiter 120, hunc morbum per incolas Alpium noſtrarum et ſeptentrionalium hujus regni locorum diſſeminaſſe feruntur. Conſtat tamen hunc morbum, poſt hominum qui nunc extant memo-

 riam,

riam, in his locis percrebruiſſe. Etiamnum frequentiſſimè occurrit in comitatibus Aberdoniae, Bamffae, Moravae, et Innerneſſi; praecipue vero circa Innerlotheam in Abria, locum munitum qui in poteſtate O. Cromwelii quondam fuerat. Is praeſidia etiam habebat Finlarigae in Bradalbino comitatu, Riliwhimine in Abertarſa, Bemerae in Glenelga, Caſtello-Duarti in Mulla, et Stornoviae in inſula quae Lewes appellatur: Omnibus his locis, morbus Sibbens hodie quoque propemodum vulgaris eſt.

Cum contagioſus ſit hic morbus, non mirum eſt ſi longe lateque ſe diffuderit a ſedibus ſupra memoratis unde originem ſuam traxiſſe putatur: Nunc certe, per comitatus Berthae, Argatheliae, Aërae, et Gallovidiae, ſatis frequens eſt. Nec dubito, quin alios quoque comitatus invaſerit; ſed de hoc nihil comperti affirmaverim. Unde nomina ſortitus ſit hic morbus, incertum. Nonnulli appellationem sibbens deducunt a Chiliarcho quodam Sibbens, in exercitu O. Cromwelii, qui quidem foeminas quaſdam, infelices hujus regionis incolas, hoc morbo contaminaſſe memoratur. Alii eandem deducunt a Cevennis in Gallia montibus, ubi morbus huic non abſimilis regnare dicitur; itaque hujus morbi denominationem

tionem hiſce litteris annectunt. Nomen tamen Yaws nuper admodum huic morbo inditum eſt, ex quadam ſimilitudine, quae eidem cum Africano morbo * ejuſdem nominis intercedere exiſtimatur.

Apellationes, juxta veram denominationem ſyſtematicam, syphilis pro generico, et Sibbens, Cevennis, aut Scotica, pro triviali nomine, eſſe debent.

Causa proxima ipſius Sibbens, pro nupera noſtra hujus morbi notitia, ſaltem dubia ſit, neceſſe eſt: Caeterum ſi quid ponderis conjecturae probabiles habere poſſint, quod infra narratum eſt, nonnihil lucis huic rei allaturum videtur.

Observatum eſt, nuper in Ultima Gallovidia, ubi Syphilis Venerea et morbus Sibbens antea ignorabantur, caementarios quoſdam, ex alia hujus regni parte ad pontem ſtruendum in flumine ejus regionis accitos, morbum ibi venereum propagaſſe. Hic morbus per incolas dimanabat, et ex eo tempore, quaſcunque formas morbus Sibbens, in locis ſupra dictis, induerat, eaſdem aſſumpſit. Nonne igitur veriſimillimum eſt, morbum Sibbens ex Syphilide Venerea et alio quodam morbo invicem commiſto produci? Quis hic alius morbus ſit, dubium

* Vid. Act. Edin. tom. v. p. II. art. lxxxvi. a p. 312.

bium primo intuitu videatur, et definitu difficile: Sed, ex affinitate manifeſta quae ſcabiem inter et Syphilidem Veneream intercedit, et ex eo quod ſcabies maxime univerſalis et quidem unicus fere morbus chronicus in hujus regionis Alpibus ſit; item quod nulla mentio alicujus morbi in annalibus phyſicis Anglicanis occurrat, ad quem morbus Sibbens referri poſſit; et quod in his locis non reperiatur, niſi ſicubi ſcabies dominatur; parum dubitandum eſt, quin eam quoque participem morbi Sibbens generandi pronunciare liceat. Corroboratur haec conjectura, ſi nobiſcum reputemus, cauſas proximas ſcabiei et Syphilidis Venereae ejuſdem fere eſſe naturae.

Jampridem compertum eſt *, cauſam efficientem ſcabiei ſpeciem inſecti eſſe, quae nunc a peritis hiſtoriae naturalis ad genus, acarus quod dicitur, pertinere deprehenditur. Innuit etiam Hauptmanus †, Langius ‡, aliique, cauſam eſſe ſimilem quae Syphilidem Veneream producat. Quamvis haec poſtrema aſſertio nondum ſatis demonſtrata ſit, tamen, ſi animadverſum eſt, multos alios morbos contagioſos,

* Vid. Philoſ. Tranſ. an. 1687. No. 283.

† Vid. Praef. Tractatui de viva mortis imagine, &c. edit. an. 1650.

‡ Vid. Praef. Scrutino peſtis Kircheri ab illo edito Lipſiae an. 1659.

tagioſos, qui hominibus, brutis, et iis quae e terra gignuntur, accidere ſolent, ab inſectis originem ducere; vitam animalem, praeſertim inſectorum, Mercurio laedi, et Mercurium, tam hujus quam reliquorum morborum contagioſorum, remedium eſſe catholicum: Ex hiſce omnibus collegiſſe licuit, ſyphilidem veneream ab inſectis uſquequaque concitari; quocirca, non parum veriſimile eſt, inſectorum mares qui Syphilidem Veneream concitant, cum foemellis iſtorum quae ſcabiem producunt, vicibus alternatis, amore coeuntes, et hybridam animalculorum ſobolem procreare poſſe, quae morbo Sibbens occaſionem praebeat.

Praeterea, ſatis conſtat conjunctionem rachitidis aut ſcorbuti cum Syphilide Venerea morbum producere, ab utrolibet ſeparatim ſumpto plane diverſum: quidni igitur ſcabies, quae in ſcala naturae tam arcte connectitur cum Syphilide Venerea, magis quam quilibet ſupra dictorum, rebus iiſdem circumſtantibus, proportionalem producat effectum?

Hic morbus, omnium conſenſu, ſyphilide venerea per ſe contagioſior eſt. Nam, praeterquam

* Vid. diſſertationem Noxa inſectorum dictam a Michaele A. Baekner, in 3 tom. Amoenitat. acad. Lin. p. 335. &c.

terquam quod coitu caeteriſque ſyphilidis venereae cauſis occaſionalibus propagatur, ſaepe notatur, eam hinc inde derivari ex eodem calice vitreo aut poculo bibendo, ex eodem tubo fumum nicotianae exhauriendo *, in eodem coetu cum infecto verſando; et pluribus quidem exemplis monemur, unum infectum ſaepe totam familiam contaminâſſe, per neceſſarium quod inter herum et ſervum intercedat commercium.

NOTABILE tamen eſt, interdum evenire, ut unus vel plures in familia aut coetu contagionem effugiant, quamvis iiſdem cauſis occaſionalibus, quibus alii lue contacti, ſubjiciantur. Nonne hoc indicat, praefinitam corporis indolem, ad producendos tam contagioſos quam alios morbos, eſſe peropportunam? Quae autem ſint omnes cauſae praediſponentes, non ſatis liquet. Poſito tamen, quod morbus SIBBENS ex Syphilide Venerea et Scabie conjunctis oriatur, manifeſtum eſt, vel ſcabiem vel etiam ſyphilidem veneream cauſas eſſe ad eum praediſponentes: Caeterum, cum morbus eundem ex contagione morbum in alio producere conſueverit, patet etiam, alias eſſe praeter cauſas prae-

* In multis enim hujus regionis locis, mos eſt, tubum per manus tradere, unde omnes, qui adſunt, fumum ex eodem tubo excipiunt.

praediſponentes ſupra allatas; fortaſſe cutis mollior, cutis inciſio, et ſyſtema nervorum irritabile, ſuis quaeque vicibus, in corpore ad contagionem recipiendam diſponendo, conjurant. Sed etiam praeter has, veriſimile eſt, certum humorum ſtatum opportunum eſſe; ex humoribus enim materia morbifica incrementum acquirit. Verum quis tandem ſit peculiaris ille humorum ſtatus, ne conjecturam quidem afferre poſſum, niſi forte ſit ſtatus morbido-ſolutus et ſtagnans.

Diversa ſunt hujus morbi ſymptomata, pro modo contagionis, et peculiari corporis parte in quam vires ſuas exſerit. Phaenomena magis communia haec ſunt: Aeger infectus pungentem in gutture dolorem, unà cum levi deglutiendi difficultate ſentit; mane, os ſiccum eſt, et peculiari modo foetet: Tumores glandulares ſub aure et maxilla inferiore apparent. Haec ſigna manent, modo leviora modo graviora, per complures menſes, ſine ullo novo indicio: Dein puſtulae, ad magnitudinem piſorum hortenſium, in lingua, baſin verſus, apparent. His ſaepe ſuccedunt ulcera in gutture phagedenica, quae totum palatum obeunt. Ne oculi quidem et aures morbi expertes ſunt, ſed rubeſcunt et inflammantur; hae dolore et tinnitu afficiuntur. Poſtremo,

plurimae

plurimae eruptiones, vel potius vari, in aliis corporis partibus, praecipue in dorſo, genitalibus, et inguine, diſpiciuntur, quae in foeda ulcera degenerant, et tenuem ſaniem emittunt. Haec paullatim in unum vel plura ulcera phagedenica coaleſcunt, quae dolorem maximum afferunt, et intoleranter pruriunt. Hoc modo plerumque morbus procedit, quamvis ſaepe non omnia haec ſymptomata in uno eodemque aegro conſpiciantur. Nonnunquam os et fauces abſque ullo alio indicio afficiuntur: Aliquando genitalia et lumbi tandem morbo corripiuntur; et, quamvis raro accidat, ut dolores nocturni, tophi, et caries oſſium occurrant, tamen haec nonnunquam uſu venire, poſt longiorem morbi durationem, pro certo cognovi; quae quidem res, eam quae inter morbum Sibbens et Syphilidem Veneream intercedit affinitatem inſigniter indicat.

Eadem fere methodo curatur hic morbus qua ſyphilis venerea confirmata, nempe, mercurio interne exhibito vel externe applicato; decoctis lignorum aut ſarſaparillae. Conſtat tamen inter omnes, tali curſu tamdiu inſiſtere, aut medicamenta tanta copia uno tempore praebere, non opus eſſe; cum ſemper facilius curetur morbus Sibbens, quam Syphilis Venerea, cui adſunt eadem ſymptomata. Poſt-

quam

quam autem, prout omnino pateat, morbus perfecte curari videatur, intra paucos menſes ſaepe denuo erumpit; ſed naturae fere mitioris, et facilius quam prius curatur. Haecce morbi redintegratio vere et autumno plerumque accidit, vel, uti noſtrates vulgo loquuntur, cum folia ſylveſtria ſeſe expandunt et decidunt.

Imprimis autem notabile, foeminas interdum, nullo remanente morbi ſymptomate, et quidem ſine medicaminum ſupra recitatorum uſu, vel ante vel poſt partum, ex puerperio ſanas evaſiſſe!

Posito, quod ſcabies partem hujus morbi conſtituat, nonne externus ſulphuris uſus, una cum mercurio, &c. interne adhibito, in ejus curatione tentari poſſit?

Eisdem poſitis, cum hic morbus facilius curetur quam Syphilis Venerea, nonne caſus illi Syphilidis Venereae pertinaces, qui nonnunquam cum medicae artis dedecore exiſtunt, in morbum Sibbens, ſcabiem aegro inoculatione inducendo, converti poſſent?

Uti diſſertatiunculam tandem ad finem perducam; non poſſum non profiteri gratum animum in Praeceptorem meum honorandum, et de me optime meritum, Doctorem Johannem Hope, Medicinae et Rei Herbariae in al-

ma Academia hac Edinburgena Profeſſorem, qui, praeter innumera tam publica quam privata in me collata beneficia, quae hic recenſere longum eſſet, eorum quae ad morbum Sibbens pertinuere phaenomenôn mihi copiam fecit; quemadmodum in epiſtolis Doctoris Alexandri Stevenson in Academia Glaſguenſi Medicinae Profeſſoris, nec minus D. Roberti Trotter, Chirurgi in Gallovidia Nova, et Doctoris Davidis Skeen, Medici in Nova Urbe Aberdeae, continentur; ſine quorum adjumentis, nihil unquam de hoc morbo tentare aut periclitari voluerim. Item multa me debere fateor Reverendo Doctori Johanni Walker, V. D. M. apud Moffat, cui, in rebus naturalibus perquam ingenioſo, per hujus gentis Alpes Inſulaſque nuper iter facienti, iſtius morbi videndi, et in ejus naturam et originem inquirendi, facultas dabatur, qui mihi nonnulla, notatu perutilia, de cauſa proxima et occaſionalibus ſuggeſſit; necnon Doctori Jacobo Spence, Medico in Caledonia, qui, pleraque omnium quae ſupra memoravi, ex ſua experientia, vera fuiſſe confirmavit.

FINIS.